



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modvs Decimvs Qvintus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

qui vitijs merſi dōm pacem in mundo & cūm mun-  
do habeant, plane ſe beatos dicunt. At non quam  
mundus dat, Christus quoq; dat pacem Joan. 14.  
nec venit eam mittere, ſed tollere: & gladium con-  
tra eam oppoſuit Matth. 10. Vt illud generaliter ad  
eiusmodi pacem referri debeat, quod D. Aug. in  
psalm. 149. de affinitatibus obſequio Dei obſtan-  
tibus protulit, *Sermo Dei gladius bis acutus, unde  
bis acutus? dicit de temporalibus, dicit de æternis.*  
*Filius vult servire Deo. Pater non vult, Mater non  
vult: gladio dividuntur ab invicem. Vtiliter te ille  
separat, male te conglutinas. Ne Existimes Christi-*  
ane dum amundi vanitatibus avelleris, pacem tu-  
am turbari. Vtiliter separaris male te conglutinas.  
Pax tua quæ de mundo eſt, pax non eſt: periculis  
indormis, baratum amas. Spartiatas ait D. Nazi-  
an. epift. 139. lancea indicabat humerus Pelopidas:  
at Christianos, pax, utiq; nō mundi ſed Christi, utiq;  
non quam venit tollere ſed quam hodie eſt preca-  
tus. Christus Iesuſ, heri & hodie ad Hebr. 13, 8. Non  
potest, ſibi eſſe contrarius: ſed nec potest, mutari.  
Optat nobis pacem, ſed ſuam, odi pacem, ſed mun-  
di, hoc eſt, optat bonū noſtrum, odi malū noſtrū.  
¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

## MODVS DECIMVS QVINTUS.

**D**uo ſenſu contrarij ex eadem ſententia elici-  
untur: ut de ijs problematice trahetur: pro  
concluſione autem aut decisio auditori relinqu-  
tur, aut ipſe Orator decidit: & ad unam ſententi-  
am amplectendam hortatur, aut etiam, utrāque  
par-

partem tanquam rectam & probabilem amplectitur. Eodem modo tractatur simplex problema, quod ex occasione quidem Scripturæ proponitur, sed non habet fundamenta probationis, pro utraque parte, in assumpta scripturæ sententia E.g. si Dominica 22. à Pentec. ad illa verba. *Reddite quæ sunt Cæsar is Cæsari proponas.* Vtrum Excellenter sit obedientia, qua obeditur ipsi Deo. An qua obeditur homini propter Deum? aut Dominica 23. à Pentec. ex occasione insperatae mortis filiæ Principis inquiras. Vtrum melius foret habere certam mortis horā, an illam manere incertam? Pro certitudine agit fere communis sensus optantium scire horam mortis. Pro incertitudine occurreret, quia aperiretur scelestis porta sceleurum. 2. Quia non posset cominode mundus gubernari, in beatis, successionibus, Magistratib⁹ &c. 3. Quia etiam boni facile pertraherentur, ad malum, quod nunc incertitudine mortis vitant. Sed sit principalis præcepti.

## P R A X I S.

Dominica Sexta post Epiphaniam.

*Simile est Regnum cœlorum grano Sinapis. Matth. 13.*

**A**ccessus & *Propositio* problematica. Mirari quispiam posset, servatorem nostrum, sub grani Sinapis similitudine, Regni cœlorum commendationem proponere noluisse: quod Sinapis absterrendis potius hominibus à cœlo, quam alliciendis aptior videatur. Ne interea, error huic admirationi subsit, inquiramus id ipsum, an cœlum grano sinapis comparatum, alliciendis nobis, aut deterrendis sit aptius?

Con-

Confirmatio ex rationibus, pro utraque  
parte adductis.

*Prima Pars.* Videtur aptius absterrendis, Acerbum enim illud sit necesse; quod grano Sinapis Simile: quæ ex Natura sua, acris & acerba est. Hinc D. Ambros. lib. 7. cap. 13. in Luc. Martyres granum sinapis vocat, quod multa acerba tolerant, favet Apocal. cap. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Cœlum quærentibus symbolum Tipotii assignaris: *Patiar, ut potiar Servator noster, cum discipulis valediceret, ita iisdem promisit, se paraturum locum, ut in mundo plorarent & fherent, Joan. 16.* quæ proprietas frumentum sinapi est: adeoque propria, quærentibus cœlum, ut *lachrymas sibi fuisse panem die ac nocte, dum dicatur quotidie, ubi est Deus tuus?* testetur David Psal. 42. v. 4. Exod. 22. *Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere.* Hæbr. legunt, *plenitudinem tuam, & lacrymarum tuarum.* Idem Deo lacrymæ & primitiæ: & sicut nefas negare primitias, ita & lacrymas. Christus Dominus lavit in cœna pedes discipulorum, suos non lavit. Quid ita? Fortè, inquit Ambros. lib. 6. in c. Lucæ 7. ideo non lavit pedes suos Christus, ut nos eos lachrymis lavaremus. An non hæc omnia tristia? an non grani sinapis, id est cœli acerbi effectus?

*Secunda pars.* Aptior tamen alliciendis ad querendum cœlum hominibus similitudo sinapis. Nam si acerbitas pro cœlo sustinenda, non est nisi granum Sinapis, ut capiat regni opes? Est autem omnino ita, quod omnes acerbitates, quæ in mun-

do

do evenire possunt, comparatae cælesti gloriæ, vix sunt unicum granum sinapis. Primo Propter exiguitatem sui. Secundo propter durationem amaritudinis, valde brevem, unde, D. Paul. ad Corinth. 4. *Id enim quod in præsenti est, momentaneum & leve tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate, æternum pondus gloria, in nobis operatur, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Vis granum sinapis? Momentaneum & Leve tribulationis. Vis regnum cælorum? supra modum, in sublimitate, æternum gloriæ pondus. Expende singula & amaritudines vite, ne gratum quidem aestimabis. Unde D. Chrysost. in Matth. homil. 16. *Tristar is, quia te corporis voluptate defraudo, sed latare potius, quia cælorum regna tibi pro video.* quod ut evincat, sic rursus homil. 67. argumentatur: *Terrestre certamen, est tibi propositum, cuius corona in cælo reddetur. Ab hominibus exagitaris, at Deus tibi honorem retribuet; paucis diebus curris, & æterna præmia consequeris: corruptibili corpore luctaris, & incorruptibili laudaberis.* Expende item opposita & grani sinapis levissimam amaritudinem, agnosces, atque cum D. Gregorio Libro 5. Moral. fateberis: quod, *simens forti intentione, in Deum dirigitur, quicquid in hac vita sibi amarum est, dulce aestimat: & omne quod affigit, requiem putat.*

F MO-